

primum modum illorum quatuor modorum, quos Boetius de duabus naturis assignat, secundum scilicet quod natura dicitur esse illud, quod quocumque modo intellectu capi potest: non enim res intelligibilis est nisi per suam definitionem et essentiam. Et sic etiam dicit philosophus in V Metaphysicæ, quod omnis substantia est natura: nomen autem naturæ hoc modo sumptæ videtur significare essentiam rei secundum quod habet ordinem vel ordinationem ad propriam operationem rei, cum nulla res propria desituiatur operatione. Qualitatis vero nomen sumitur ex hoc, quod per definitionem significatur: sed essentia dicitur secundum quod per eam, et in ea res habet esse.

In hac tertia parte huius capituli declaraturus quomodo differant nomina essentia inter se, enumerat quinque ejus nomina: primo scilicet essentia, quidditas, quod quid erat esse, forma, et natura: quorum ratio et differentia satis clare ac manifesto sermone in littera traditur, adeo ut addere non sit opus.

Nota tamen circa id quod de Boetio affertur, quod Boetius in libro de duabus naturis et una persona Christi, naturam quadrupliciter accipit dicit. Primo omne intelligibile: secundo omnis substantia: tertio principium intrinsecum motus; quarto specifica essentia seu differentia: quos modos (si Boetium non habes) vide si placet in II Sent. S. Thomæ, dist. xxxvii, quest. i, art. 1: primo modo accipit hic naturam S. Thomas quoniam sic communi est essentia substantialibus et accidentalibus genericis et specificis, etc.

CAPUT II

Substantiarum essentiam proprie dici, accidentium autem non nisi secundum quid, ostendit: nobilioras item esse simplicium essentias, quam compositarum substantiarum probat: quod demum essentia substantia composita non materia, non forma, vel inter ea aliqua excogitata relatio, vel quippiam ipsi composito superadditum, sed ipsum sit compositum, variis rationibus demonstrat.

Sed quia ens absolute et primo dicitur de substantiis, et posterius, et secundum quid de accidentibus; inde est quod essentia proprie et vere est in substantiis: sed in accidentibus est quodammodo et secundum quid, etc.

Expedito primo propositorum exequeus in hac secunda parte tractatus, quomodo essentia in diversis diversimode invenitur, quod secundo loco propositum erat; primo declarat, quomodo essentia invenitur in substantiis compositis in tribus capitulis; secundo in substantiis separatis duobus capitulis; tertio in accidentibus unico capitulo. Circa substantias compositas tria declarantur in illis tribus capitulis. In primo, quid sint entia substantiarum compositarum; in secundo, quomodo differant inter se essentia substantiarum compositarum; in tertio, quomodo se habeant ad intentiones logicas. Incipiens autem exequi in hoc cap. quomodo essentia in diversis diversimode invenitur. Primo hoc declarat in communi, omnes essentias universi ad invicem comparando in duabus comparationibus. Secundo, quid sit essentia substantiarum compo-

sitarum tribus concisionibus negativis, et quarta affirmativa. Tertio movet dubitationem quamdam circa conclusionem affirmativam, et solvit eam. Facit primo comparationem primam inter essentias substantiarum et accidentium tali conclusione: Substantia vere et proprie habet essentiam; accidentis autem secundum quid. Quam sic probat: unumquodque sicut est ens, ita habet essentiam: sed substantia est ens simpliciter, accidentis vero est ens secundum quid; ergo substantia habet essentiam simpliciter, accidentis autem secundum quid. Major ex dictis in præcedenti capitulo patet. Minor licet habeatur VII Metaph., in principio, tamen sic probatur in littera: illud est ens simpliciter de quo ens absolute et primo prædicatur, et illud est ens secundum quid, de quo ens posterius, et secundum quid dicitur: sed de substantia ens dicitur absolute et primo, de accidente autem posterius et secundum quid; ergo substantia est ens simpliciter, accidentis vero secundum quid.

QUÆSTIO III

Nam ens per prius de substantia, posterius de accidente dicatur, ar de utroque univoce.

Circa hanc particulam dubitatur, an ens per prius dicatur de substantia et posterius de accidente, an univoce de utroque. In hac questione quinque agenda sunt. Primo declarabitur titulus. Secundo ponetur opinio Scoti. Tertio arguetur contra illam. Quarto ponetur opinio S. Thomæ. Quinto respondebitur argumentis in oppositum.

Quoad primum sciendum est, quod aliquid dupliciter contingit de aliquibus prædicari per prius et posterius. Uno modo secundum esse illius prædicati. Alio modo secundum propriam rationem ejusdem. Illud dicitur prædicari analogice (secundum esse) quod perfectius habet esse in uno quam in alio et sic omne genus prædicatur per prius et posterius de suis speciebus, eo quod perfectius esse necessario habet in una specie, quam in alia. Unde com. xr, Met., com. n, dicit quod prioritas et posterioritas specierum non impedit unitatem generis, et hoc modo non querimus hic; per se enim notum est omnibus, quod ens perfectiori modo est in substantia quam in accidentibus, et quod hoc modo prædicatur per prius et posterius.

Illud vero dicitur prædicari analogice, seu per prius et posterius secundum rationem propriam, quod de uno prædicatur sine respectu ad aliud, de altero vero non nisi in respectu ad aliud. Verbi gratia: sanum prædicatur de animali sine respectu ad dietam, medicinam et urinam; de istis vero prædicatur non nisi in respectu ad animal. Dicitur enim animal sanum absque additione aliqua, urina vero non dicitur sana, nisi quia est signum sanitatis existentis in animali, et dieta similiter non est sana, nisi quia est conservativa sanitatis, et sic de aliis. Cum enim diffinitio sanum prædicatum de animali, non ponet in ejus diffinitione respectum ad aliquid horum. Cum autem diffinitio sanum prædicatum de urina, in diffinitione ejus ponetur respectus ad sanitatem animalis cum ipsa animalis sanitate, et similiter in diffinitione diætæ et medicinæ in eo, quod sanæ sunt. Dices enim (ut jam dictum) quod urina est sana, in eo quod signum est sanitatis, diætæ in eo quod conservativa, et medicina in eo quod causa est illius: et hoc modo veritè hic in dubium an ens prædicatur analogice, ita quod absolute prædicatur de

substantia, de accidentibus vero non nisi relative ad substantiam: quod idem est quod quæreretur utrum substantia in eo quod ens non includat accidens, accidens vero in eo quod ens includat substantiam; et in hoc pendet tota questio inter nos et Scotum, quoniam accidens, in eo quod accidens, includere substantiam ab omnibus conceditur, sed non accidens in eo quod ens. Hæc de primo.

Quoad secundum Scotus I Sent., dist. III, q. 1, et III, VIII, q. II, ponit hanc conclusionem, Ens est univocum substantiæ et accidenti, Deo et creature: et probat eam sic: Omnis intellectus certus de uno conceptu, et dubius de diversis, habet conceptum, de quo est certus, alium a conceptu de quo est dubius: intellectus quisque potest esse certus de Deo seu de propria passione, quod sit ens, dubitando an sit ens finitum vel infinitum, sive an sit substantia vel accidens; ergo conceptus entis est alius a conceptibus istis, et ita neutrum est ex se, sed in utroque illorum includitur: igitur univocus. Prima propositio patet ex terminis. Minorem vero experientia docet.

Secundo sic. Ens non est univocum; ergo Deus non est a nobis naturaliter cognoscibilis aliquo conceptu simplici: hoc est falsum, ergo a destructione consequens, etc. Consequentia probatur: nullus conceptus est producibilis in intellectu nostro, qui non continueatur essentialiter, vel virtualiter in objecto relucente in phantasmate: sed conceptus non univocus Deo et objecto relucenti in phantasmate est non contentus tam essentialiter, quam virtualiter in objecto relucente in phantasmate: ergo nullus conceptus est producibilis in intellectu nostro, nisi sit univocus objecto relucenti in phantasmate: hoc autem est creatura: ergo omnis conceptus simplex, quem habemus de Deo est univocus creature, et consequenter conceptus entis. Major patet, minor declaratur: quia objectum creatum continet essentialiter conceptum increatum, ut de se notum est, nec virtualiter: quia prius non includitur virtualiter in posteriori, sed e converso.

Tertio sic: omnis inquisitio metaphysicis de Deo procedit, considerando rationem formalem alicujus, et auferendo ab ea imperfectionem, quam habet in creaturis, et reservando illam rationem formalem, et attribuendo sibi omnino summam perfectionem, et sic ponendo illam in Deo: ergo omnis inquisitio de Deo supponit intellectum habere conceptum eundem univocum, quem accipit ex creaturis.

Quarto sic, Ens non est univocum substantiæ et accidenti, ergo substantia non est a nobis naturaliter cognoscibilis: hoc est falsum; ergo, etc. Tenet consequentia, eo quod cum substantia non immutet immediate intellectum nostrum ad aliquam intellectionem sui, sed tantum accidens sensibile, sequitur quod nullum conceptum quidditativum habere poterimus de ea, nisi aliquis talis possit abstrahi a conceptu accidentis: sed nullus talis quidditativus abstrahibilis est a conceptu accidentis, nisi ens univocum accidenti et substantiæ. Hoc autem quod in ista ratione assumit, scilicet quod substantia non immutat intellectum nostrum ad aliquam sui intellectionem, probatur sic: quidquid sua presentia immutat intellectum, absentia illius potest naturaliter cognosci ab intellectu quando immutat (sicut apparet ex II de Anima) quod visus est tenebræ cognoscitivus, quando lux non est præsens, eo quod tunc visus non immutat: igitur si intellectus naturaliter immutatur a substantia immediate ad actum circa ipsam, sequeretur quod quando substantia non esset præsens, posset naturaliter cognosci non

esse præsens, et ita naturaliter cognosci posset in hostia consecrata non esse substantiam panis: quod est manifeste falsum.

Quinto arguitur auctoritatibus II Metaph., text. comment. IV. Probans Aristoteles causam entitatis et veritatis, maxime entia et vera, assumit hanc propositionem. Unumquodque maxime ipsum aliorum dicitur, secundum quod aliis inest univocatio, ens ergo univocum dicitur apud Aristotelem de causa entitatis, scilicet Deo et aliis: aliter processus Aristotelis nullus esset, arguit enim sic: causa univoca entitatis et veritatis est maxime ens, et vere Deus est hujusmodi; ergo. Avicenna quoque I Metaph. capitulo secundo dicit: substantia et quantitas non habent intentionem communem nisi entis, cujus quedam sunt quasi species, et quedam quasi accidentia propria. Et capitulo quinto facit argumentum, quod adductum est de conceptu certo, et dubiis: omnes, inquit, imaginantur certitudinem entis, dubitant autem utrum sit agens vel patiens. Algazel in Metaphysica sua tractatu primo habet, quod quidam homines putaverunt, quod ens non prædicat alium conceptum a suis inferioribus, dicentes, quod esse accidentis nihil aliud sit, quam esse substantiæ. Multa alia argumenta adducuntur ad hoc: sed quia (ut patebit) non probant univocationem, sed alientem conceptus entis, omitto: et etiam quia ex dicendis euilibet ingenioso patebit responsio ad omnia. Hæc de secundo.

Quoad tertium arguo primo sic: nullum univocatum in ratione sui univoci habet aliquid plus, quam reliquam univocatum: substantia et accidens sunt univocata per te in ente; ergo accidens non habet aliquid plus in ratione sui univoci, scilicet entis, quam substantia. Discursus bonus, conclusio vero est falsa; ergo altera præmissarum: non major, quia illa habetur ex ante prædicamentis; ergo minor, que est conclusio adversæ partis. Falsitas conclusionis habetur VII Metaph., textibus et commentis secundo et tertio, ubi dicitur quod in ratione accidentis, in quantum ens ponitur substantia, unde comment. dicit in commento tertio, quod sedens et stans non dicuntur esse entia sine substantia: patet autem quod in diffinitione substantiæ, in quantum ens non ponitur accidens nec substantia, eo quod abstrahit apud eos ab illis. Patet secundo falsitas illius conclusionis ex dictis Antonii Trombete, qui in hac questione fatetur in diffinitione accidentis, in quantum ens, cadere substantiam. Unde etsi ratio possit a Scoto secundum apparentiam solvi, glossando Aristotelem (glossa destruite textum), nullo tamen pacto potest ab Antonio Trombeta solvi, eo quod ab ipsa veritate coactus concessit in quolibet suo falsitatem conclusionis, quam Scotus negaret.

Secundo arguitur sic, Ens est univocum prædicatum in quid de pluribus differentibus specie, in nulla differentia quidditative inclusum; ergo est genus. Tenet consequentia ex diffinitione generis, et conditione appositæ a Scoto in I sent. dist. III, q. III, ultimam enim particulam appositam exigi dicit ad genus et bene, secundum Arist. quarto Topi. Antecedens quoad primam partem et secundam Scoti ibidem est. Quoad tertiam autem probatur sic: si ens esset inclusum in aliqua differentia non ultima, sequeretur quod addendo differentiam non ultimam generi, esset negatio: hoc est falsum; ergo, etc. Tenet consequentia, quia bis ens poneretur eodem modo: semel ratione generis, et semel ratione differentia. Verbi gratia, si ens includitur quidditative in ratione animalis et rationalis, dicendo animal rationale, erit negatio: cum enim prima pars rationis animalis sit ens, erit ratio propria animalis ens, A, B, C. Simili-

ter cum prima pars rationis rationalis sit ens, erit ratio rationalis ens, D, E, F, et sic dicendo animal rationale, dices ens, A, B, C, ens, D, E, F, et consequenter ponens ens bis : et expresse negationem committes. Nec est opus impugnare responsum Scoti, ubi supra ad hoc argumentum, quia non est ad propositum : ait enim quod sicut dicimus, animal album absque negatione, eo quod ens clausum in ratione albedinis denominat accidentaliter ens clausum in ratione animalis : ita in proposito dicimus animal rationale, eo quod ens clausum in rationali denominat essentialiter ens clausum in animalis absque negatione.

Hoc enim non est ad propositum : aliud enim est loqui de ente in sua ratione communi, in qua indistincte univocantur supradicta, et aliud est loqui de ente particulariter accepto. Licet enim palliari possit, quod ens particulatum ad album et rationale denominet ens particulatum ad animal, non tamen potest intelligi quod prima pars rationis alibi formaliter sumpti, denominet primam partem rationis animalis. Ea enim est ens eodem modo sumptum, cum univocum sit : remanet ergo, quod negatio est dicere apud Scotum animal rationale : immo animal album, eodem modo arguendo, ut prius utendo loco nominum eorum rationalibus quidditativis.

Quod si aliquis, vim faciendo in verbis Scoti, forte dixerit ens non claudi in rationali quidditative et albo, sed in rationalitate et albedine : tunc interim sequitur principale intentum nostrum, quod scilicet ens in nulla differentia includatur quidditative : quia rationalitas non est differentia, sed differentie principium secundum veram Avicennae doctrinam : differentia enim praedicatur de specie ; rationalitas autem non ; quare, etc.

Tertio arguitur sic, Ens est univocum substantiae et accidentis : ergo in ratione substantiae expresse cadit ens ; ergo in diffinitione hominis explicite cadit ens : hoc est inconveniens et contra Aristotelem et viam communem ; ergo, etc. Prima consequentia probatur, ex eo quod omne superius univocum explicite cadit in ratione sui essentialis inferioris, sicut animal cadit explicite in ratione hominis. Secunda consequentia probatur ex auctoritate Aristotelis posita in II libro Topicorum, illa scilicet : quum aliquid ponitur in diffinitione alienius loco illius, si ponatur ejus ratio, clarior erit intellectus. Cum ergo substantia ponatur in diffinitione hominis, et loco substantiae liceat ponere ejus rationem, in qua explicite cadit ens, ut clarior sit diffinitio, sequitur quod ens debeat poni in diffinitione hominis explicite, ut clarior reddatur. Nec prohibet hoc communissimus ambitus ipsius entis, aut carentia differentiarum. Sicut nec ex his prohibetur ens tanquam praedicatum univocum et quidditativum cadere in ratione substantiae. Et confirmatur hoc per Scotum, qui in I Sentent., dist. III, ponit ens esse primum cognitum cognitione distincta : eo quod ens cadat in conceptu quidditativo omnium tanquam primum praedicatum quidditativum. Haec de tertio.

Quoad quartum principale, praenoto differentiam inter univocum et aequivocum, purum et analogum. Univocata sunt, quorum nomen est commune, et ratio secundum illud nomen est eadem simpliciter. Pura aequivocata sunt, quorum nomen est commune, et ratio secundum illud nomen est diversa simpliciter. Analogata sunt quorum nomen est commune, et ratio secundum illud nomen est aliquo modo eadem, et aliquo modo diversa seu secundum quid eadem, et secundum quid diversa. Verbi gratia, animal et medicina sunt analogata sub sano : unde habent

illud nomen commune. Utrunque enim illorum dicimus sanum ; diffinitio autem eorum inquantum sana sunt, est aliquo modo eadem, et aliquo modo diversa : animal enim, inquantum sanum, est habens sanitatem ; medicina, inquantum sana, est causa sanitatis. Sunt enim eadem aliquo modo istae diffinitiones, quia in omnibus includitur sanitas ; et sunt diversae aliquo modo, quia diversis modis sanitatem respiciunt. Unde analogum est medium inter purum aequivocum et univocum : sicut inter idem simpliciter et diversum simpliciter cadit medium idem secundum quid : et sicut medium sapit naturam utriusque extremi, dicit enim quoddammodo plures rationes et quodammodo unam propter quod invenitur quandoque apud illustres philosophos, quod analogum dicit plures rationes, et quandoque quod dicit unam rationem.

Nota secundo, quod duplicia sunt analogata : quaedam secundum determinatam habitudinem unius ad alterum ; quaedam secundum proportionalitatem. Exemplum, Substantia et accidens sunt analogata primo modo sub ente ; Deus autem et creatura secundo modo : infinita enim est distantia inter Deum et creaturam. Differunt autem haec plurimum : quoniam analogata primo modo ita se habent, quod posterioris secundum nomen analogum diffinitur per suum prius : puta accidens, inquantum ens per substantiam. Analogata vero secundo modo non : creatura enim inquantum ens non diffinitur per Deum. Unde analogata primo modo habent nomen commune, et rationem secundum illud nomen secundum quid eandem et secundum quid diversam : per hoc quod analogum illud simpliciter id est, sine additione aliqua de primo dicitur, et de aliis vero non nisi diversimode respiciendo primum, quod cadit in eorum rationibus, sicut in exemplo de sano manifestum est : analogata vero secundo modo habent nomen commune et rationem secundum illud nomen aliquo modo eandem et aliquo modo diversam : non propter hoc, quod illud simpliciter dicitur de primo et de aliis relative ad primum, sed habent rationem eandem secundum quid propter identitatem proportionis, quae in eis invenitur, et secundum quid diversam, propter diversitatem naturarum oppositarum illius proportionibus. Exemplum, Forma et materia substantialis et forma et materia accidentium sunt analogata quaedam sub nominibus primae et materiae : habent enim nomen commune, puta formam et materiam, et rationem secundum nomen formae sive materiae eandem et diversam hoc modo : quia forma substantialis ita se habet ad substantiam, sicut forma accidentalis ad accidens : similiter materia substantiae ita se habet ad substantiam, sicut materia accidentis ad accidens : ubiqueque enim salvatur identitas proportionum cum diversitate naturarum et unitate nominis. Hunc modum analogiae exprimit Commentator XII Metaph., comment. xxviii, et clarior eum Aristot. I Ethic., cap. vii.

Quibus sic prelibatis, pono duas conclusiones. Prima est, Ens analogice utroque modo analogie dicitur de substantia et accidente. Secunda conclusio, Ens dicitur de Deo et creatura secundo modo tantum. Prima conclusio probari potest rationibus factis contra Scotum, et maxime prima. Auctoritatibus autem Aristot. IV Metaph., text. comm. III et Commentatoris ibidem : expresse enim ibi dicitur, quod ens non est unum, sed ad unum. XII quoque Metaph., text. comm. xxviii, expresse dicitur, quod principia predicamentorum non sunt aliquo modo eadem nisi secundum proportionem. Super qua auctoritate potest argui sic : illa non sunt

univoca, quæ nullam identitatem habent nisi proportionis; sed principia propria substantiæ et accidentium sunt hujusmodi; ergo, etc. Minor expresse est in litera Aristot. Major est nota ex terminis: si enim nullam aliam identitatem habent nisi proportionis, oportet quod careant unitate univoca. Et hæc auctoritas est notanda contra Scotistas, quia si concedant ens habere entitatem analogam, dicunt eum hoc, quod habet etiam identitatem univocam: cujus oppositum Aristotel. dicit, solam identitatem proportionis inter principia prædicamentorum ponens.

Secunda conclusio non aliter pro nunc probetur, quam auctoritate S. Thomæ in quæstionibus de veritate, quæst. II, artic. 2, ubi examinans quomodo scientia sit analogica scientiæ divinæ et scientiæ creatæ, expresse fateatur, quod secundo modo sit analogica et non primo modo. Unde cum ens dicitur de Deo et creatura, hoc modo dicitur proportionabiliter, qui exprimitur, quod sicut Deus se habet ad suum esse, ita creatura ad suum. Sed de his alias, cum ex proposito tractabitur, diffusius loquimur; modo sufficiant hæc pauca dixisse, ex quibus innoscere potest, quod conceptus entis formalis est unus inæqualiter representans esse substantiæ et accidentis, Dei et creaturæ: et quod conceptus objectalis non habet nisi unitatem proportionis determinatæ ex identitate termini vel unitate proportionabilitatis et identitatis proportionum. Ex quibus elici potest, quod cum talis unitas apud Aristot. IV Metaph. text. comm. II, sufficiat ad objectum scientiæ, ens non oportet poni univocum ad hoc, quod passiones habeat, et contradictionem fundet, et reliqua hujusmodi habeant sibi convenientia. Hæc de quarto.

Quoad quintum respondetur ordinate ad argumenta.

Et ad primum dicitur, quod argumentum illud: si aliquid probat, alietatem conceptus, non univocationem probat: sicut ipsemet Scotus dicit, et ideo gratis concedimus illud, sicut etiam Avic. qui tenet ens non esse prædicatum quidditativum, concedit ens dicere alium conceptum, non tamen univocum et quidditativum.

Ad secundum negatur consequentia. Ad ejus probationem dico, quod aliquid continere virtualiter aliud, potest intelligi dupliciter: uno modo sicut causa in virtute sua continet effectum; alio modo sicut effectus continet virtutem causæ, participando illam sic. Hoc stante minor est falsa: etenim effectus quilibet virtualiter continet secundo modo Deum; nec oportet quod continens isto modo sit prius, immo necessario est posterius. Quod si mihi dixeris, quod hoc est abuti vocabulis, quia apud omnes continere virtualiter non attribuitur nisi causæ: dico quod si fiat vis in verbo, falsa est major, et quod datur triplex modus continendi, scilicet essentialiter, virtualiter, et participative: sicut effectus continet in se causam.

Ad tertium, concessio toto antecedente, negatur consequentia: sufficit enim analogia illius rationis formalis.

Ad quartum negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod falsum supponit, scilicet quod substantia non immutat intellectum per propriam speciem. Unde ad ejus probationem dico, quod quantitas et accidentia in Eucharistia agunt et patiuntur totum, quod ageret et pateretur substantia, si esset: sicut enim acceperunt modum essendi substantiæ, scilicet absque subjecto, ita etiam agere et pati ejus; et ideo ex multis hostiis sensatis generatur in intellectu species intelligibilis substantiæ panis, et ejus quidditativa cognitio, sicut et ad nutritionem agunt, ac si esset ibi panis: non enim minus ex illis accidentibus nutri-

mur, quam ex aliis hostiis non consecratis: sicut non minus ex consecratis generantur vermes et cineres, quam ex non consecratis. Unde ad argumentum dico, quod panis absens immutat, quoniam non est omnino absens: remansit enim ibi accidens suum, quod est vice panis; quare non est simile de visu respectu tenebræ. Nec est contra nos auctoritas Aristot. quoniam hæc omnia habent locum, ubi est simpliciter absentia objecti, quam hic non concedimus quoad operationes.

Ad quintum dico, quod quia medium comparatum uni extremorum, ut oppositum, induit alterum extremum, ut dicitur V Phys., text. comm. VI; ideo analogum comparatum æquivoco, quod diversas rationes simpliciter sonat, univocum appellatum est ab Aristot. ibi, et merito, eo quod utebatur analogo secundum id quod habet de unitate: oportet enim ad verificandam illam maximam, quod causa et effectus non in sola voce convenient, sed in ratione aliqua formali eadem aliquo modo in illis: unde textus ille non est contra nos.

Ad Avicem, et Algazelem dico, quod nihil contradicunt: quia alietatem non univocationem conceptus entis insinuant.

Substantiarum vero quædam sunt simplices, et quædam compositæ, et in utrisque est essentia: sed in simplicibus veriori et nobiliori modo secundum etiam quod habent esse nobilium, sunt etiam causa eorum, quæ composita sunt, ad minus substantia prima, et simplex, quæ Deus est.

Hic ponitur secunda comparatio, qua substantias inter se comparat tali conclusione: substantiæ simplices nobiliori et veriori modo habent essentiam, quam compositæ, quam probat dupliciter. Primo sic: quorum esse est nobilium, eorum essentia est nobilior; substantiarum simplicium esse est nobilium, quam compositarum; ergo essentia substantiarum simplicium est nobilior. Secundo sic: causa, supple, effectiva, non univoca habet nobiliorem essentiam suo effectu; substantia simplex saltem prima est hujusmodi causa compositarum; ergo substantia simplex est perfectioris essentia quam composita.

Ad evidentiam hujus partis nota, quod ut habes a S. Thoma, IV Sent., dist. XI, quæst. II, art. I, ad primum: simplicitas nec perfectionem simpliciter nec imperfectionem sonat: res enim ex eo quod simplex, non habet perfectionem majorem, sed ex eo quod taliter simplex, id est simplicitatem subsistentem habet. Unde materia prima est simplicissima, et formæ accidentales sunt simplices, et tamen non sunt perfectiores substantiis compositis. Et ideo cum dicimus substantias simplices esse perfectiores compositis, intelligas non de quibuscumque simplicibus substantiis, sed de simplicibus subsistentibus in sua simplicitate: quales sunt substantiæ separatæ omnes.

Propterea caveto hie opinionem Scoti in I Sent., dist. VII, quæst. I, dicentis simplicitatem esse perfectionem simpliciter. Ut autem veritatem tutari ac falsum impugnare scias, notato quid sit perfectio simpliciter.

Perfectio simpliciter, apud Anselinum Monologion XV, est quæ in unoquoque melior est ipsa, quam non ipsa. Glossa sic. In unoquoque, in quantum est individuum entis, id est, hoc ens non in quantum est individuum hujus vel illius naturæ, puta hic homo, aut hic angelus, melior est, etc., quia comparativum includit suum positivum: ideo melior est,

id est bonitatem seu perfectionem meliorem ponit, quam non ipsa, id est quam quodlibet sibi impossibile: ita quod (ly non ipsa) non teneatur contradictorie, sed impossibilitate. Unde perfectio simpliciter exigit duas condiciones: primo, quod dicat perfectionem; secundo, quod illa perfectio in individuo entis sit melior, quam quodlibet sibi in eo impossibile. Propter defectum enim primæ conditionis tam relatio quam negatio a perfectionibus simpliciter excluditur. Propter vero defectum secundæ, ratiocinari, ridere, latrare et hujusmodi perfectiones simpliciter non sunt, quia ista etsi sint meliora in individuo hujus vel illius nature, non tamen entis. Diximus, quod ly non ipsa, teneatur impossibilitate et non contradictorie: quia aliter omne positivum esset perfectio simpliciter: quia in individuo entis melius est positivum quodlibet quolibet contradictorio formaliter sumpto. Nec superficie tenus consideres primam conditionem: quoniam propter defectum ejus simplicitatis non dicit perfectionem simpliciter. Simplicitas enim nihil aliud est quam negatio compositionis: unde non est perfectio, sed negatio imperfectionis. Propterea deficit talis modus arguendi. In individuo entis quodlibet impossibile simplicitati dicit imperfectionem: ergo ipsa simplicitas est melior in unoquoque quam non ipsa, et consequenter perfectio simpliciter. Oportet enim addere in antecedente: et ipsa dicit perfectionem, quod falsum est, quia negativum prædicatum est.

Potes autem contra Scoti positionem arguere sic: nulla perfectio simpliciter salvatur in relatione, ut relatio est: simplicitas autem salvatur in relatione, ut relatio est: Ad; siquidem est simplicissimum, nullam enim compositionem includit, et universaliter secundum Scotum, omnis differentia ultima relatiōis; ergo, etc. Major patet, ex eo quod relatio ut relatio, nec perfectionem nec imperfectionem sonat apud nos, et Scotum.

Præterea, quod dividitur per quantum, et non quantum, non est perfectio simpliciter. Patet ista, quia implicat quod aliquid sit non quantum et perfectio simpliciter. Sed simplicitas dividitur per quantum et non quantum; ergo, etc. Patet minor, quia dividitur in simplicitatem relativam et absolutam: simplicitas autem relativa est non quanta.

Si dicatur ad ista, quod relatio formaliter sumpta non est simplex, sed simplicitas prædicatur de ea denominative, hoc non evadit argumenta, quia simplicitas relativa est passio relationis secundum hoc, aut modus intrinsecus. Impossibile est autem quod alterum horum sit perfectius eo, cujus est, ut arguatur sic: nulla passio est majoris entitatis subjecto suo: simplicitas denominans relationem est ejus passio, sicut universaliter passio superioris est passio inferioris, licet non primo: ergo simplicitas relationem denominans non est majoris entitatis relatione, sed relatio non est quanta; ergo simplicitas relativa non est quanta; ergo nec perfectio simpliciter. Stat ergo assumptum verum, scilicet quod simplicitas dividitur per quantum et non quantum.

Similiter arguere potes, si dicant quod simplicitas sit modus, quod tamen minus consensum veritatis videtur. Substantiæ ergo immateriales (non ratione simplicitatis sunt perfectiones essentis substantiarum compositarum), sed ratione simplicitatis subsistentis, et adunantis in se tantam perfectionem, ita indivise, qua gaudent.

Sed quia illarum substantiarum essentiæ sunt nobis magis occultæ, ideo ab essentis compositorum incipiendum est, ut a facillioribus convenientior fiat disciplina. In substantiis igitur

compositis forma et materia notæ sunt, ut in homine anima et corpus. Non autem potest dici, quod alterum eorum tantum essentia dicatur essentia. Quod enim materia sola non sit essentia, planum est: quia res per suam essentiam cognoscibilis est, et in specie ordinatur vel in genere; materia autem non est cognitionis principium, nec secundum causam aliquid ad speciem vel ad genus determinatur, sed secundum id solum quo in actu aliquid est.

In hac secunda parte capituli, quid sit essentia in substantiis compositis declaratur (quia a notioribus inchoandum est), conclusionem hanc negativam ponit: materia sola non est essentia substantiæ compositæ: quam duplici ratione probat. Prima est talis: illud quod est essentia substantiæ compositæ est principium cognoscendi illam: sed materia sola non est principium cognoscendi illam; ergo materia sola non est essentia substantiæ compositæ. Major patet ex eo quod unumquodque per suam essentiam cognoscitur quidditative, unde omnes aliæ cognitiones oriuntur. Minor habetur ex IX Metaph. text. com. xx, ubi dicitur, quod principium cognoscendi est actus et non potentia.

Secunda ratio est: essentia substantiæ compositæ est id quo res ponitur in genere et specie: sed materia sola non est id quo res ponitur in genere et specie; ergo materia sola non est essentia substantiæ compositæ. Major est evidens inducendo in singulis: Sortes enim per suam naturam in specie humana collocatur: similiter in genere animalis, et sic de aliis. Minor probatur: quia id, quo aliquid in specie ponitur, oportet quod actuale sit, eo quod est principium distinguendi ipsum ab aliis speciebus, et collocandi ipsum in tali gradu universi: materia autem sola actualitatem non includit.

Neque etiam forma tantum substantiæ compositæ essentia dici potest, quamvis quidam hoc asserere conentur. Ex his enim quæ dicta sunt, patet quod essentia est id quod per diffinitionem rei significatur: diffinitio autem substantiarum naturalium non tantum formam, sed et materiam continet; alter enim diffinitiones naturales et mathematicæ non differrent. Nec etiam potest dici, quod materia in diffinitione substantiæ naturalis ponatur, sicut additum essentiæ ejus, vel ens extra illam naturam, vel essentiam ejus: quia hic modus proprius est accidentibus, quæ essentiam perfecte non habent. Unde oportet, quod in diffinitione sua substantiam vel subjectum recipiant, quod est extra genus eorum: patet ergo quod essentia comprehendit materiam et formam.

Hic ponitur secunda conclusio negativa talis: essentia substantiæ compositæ non est sola forma. Quam unica ratione probat sic: illud est essentia substantiæ compositæ, quod per ejus diffinitionem significatur: sed sola forma per ejus diffinitionem non significatur; ergo sola forma non est essentia substantiæ compositæ. Major est de se nota; minor probatur: quia diffinitiones naturales per hoc differunt a mathematicis, quia istæ significant solam formam, id est formam absque materia sensibili: naturales vero significant formam et materiam sensibilem.

Sed ad hanc rationem potest dici, quod cum significari per definitionem contingat dupliciter: uno modo, ut pars rei diffinita; alio modo, ut subiectum rei diffinita, seu ut deferens rem diffinitam, per definitionem naturalem significatur sola forma ut res diffinita: et ideo quidditas est sola forma, materia autem significatur ut quidditatem deferens.

Contra hanc responsionem subiungitur in littera talis ratio: illud quod est proprium accidentibus, ex imperfectione suae essentiae: non convenit specificis substantiis: sed recipere in diffinitione aliquid extra essentiam suam est proprium accidentibus ex imperfectione suae essentiae; ergo hoc non convenit substantiis specificis. Major patet ex terminis: quod enim est proprium alicui ex sua imperfectione, non convenit alteri habenti perfectionem oppositam illi imperfectioni. Minor habetur ex VII Metaph., text. comm. xiii, xv et xvi.

Circa maiorem nota, quod licet formae partis, puta animae, conveniant etiam diffiniri per aliquid extra essentiam eius, ac per hoc istud videatur esse non proprium accidentibus, sed commune eis et formis partium: in rei tamen veritate proprium est accidentium: eo quod diffinitio non est nisi rerum existentium in recta linea predicamentali habentium speciem completam, cum diffinitio componatur ex genere et differentia, sola autem accidentia inter entia et specie completa sunt per additamentum diffinibilia, et ideo proprium accidentibus dixit esse tali modo diffiniri: unde et anima diffinitur per aliud extra essentiam suam, pro quanto participat de accidentis natura esse in alio.

Non etiam potest dici, quod essentia significet relationem quae est inter materiam et formam, vel aliquid superadditum illis, quia hoc de necessitate esset extraneum a re, nec per eam res cognosceretur. Quae omnia essentiae conveniunt: per formam enim, quae est actus materiae, materia efficitur ens actu et hoc aliquid; unde illud quod superadvenit non dat esse actu simpliciter materiae, sed esse actuale, sicut accidentia faciunt, ut albedo facit actu album; unde quando talis forma acquiritur, non dicitur generari simpliciter, sed secundum quid.

Hic ponitur tertia conclusio negativa: essentia substantiae compositae non est aliqua relatio inter materiam et formam aut aliquid additum composito ex materia et forma. Quam probat ex duabus rationibus. Primo sic: omnis relatio media inter materiam et formam, et similiter omne additum composito ex materia et forma est accidens extraneum substantiae: nulla essentia substantiae compositae est accidens extraneum; ergo. Minor est de se nota; major vero probatur: omne adveniens enti simpliciter faciens formaliter ens tale est accidens extraneae naturae substantiae: omnis relatio media inter materiam et formam, et omne additum composito advenit enti simpliciter, et faciunt ens tale; ergo omnia huiusmodi sunt accidentia extraneae naturae a substantia composita. Hujus prosyllogismi minor declaratur, primo ex eo quod forma substantialis adveniens materiae facit esse simpliciter, et hoc aliquid, ut dicitur II de Anima, text. comment. II. Declarabitur secundo ex eo quod generatio terminata ad formam substantialem est generatio simpliciter: terminata vero ad formam accidentalem est generatio secundum quid, ut dicitur V Phys., text. comm. VII. Cum enim materia Sortis acquirit

formam substantialem, tunc sine additione dicitur Sortes fieri: acquisita autem forma substantiali, cum magnitudinem acquirit, non dicitur Sortes fieri simpliciter et sine additione, sed fieri magnus.

Secunda ratio est ista: nullum additum ut relatio illa media, aut ut quomodolibet sequens compositum ex materia et forma, est proprium principium a priori perfecta notitiae substantiae compositae: essentia substantiae compositae est proprium principium a priori complete notitiae eius; ergo, etc.

Relinquitur ergo, quod nomen Essentiae in substantiis compositis significat illud quod est ex materia et forma compositum: et huic positioni sonat verbum Boetii in commento pradicamentorum, ubi dicit, quod *ousia* significat compositum. *Ousia* enim apud Graecos idem est quod essentia apud nos, ut ipsemet in libro de duabus naturis fatetur. Avicenna autem dicit, quod quidditas substantiarum compositarum est ipsa compositio formae et materiae. Commentator autem dicit super VII Metaphysicæ: natura quam habent species in rebus generabilibus, est aliquid medium, id est compositum ex materia et forma. Huic etiam ratio concordat, quia esse substantiae compositae non est tantum formae, nec tantum materiae, sed ipsius compositi: essentia autem est secundum quam res dicitur esse. Unde oportet ut essentia, qua res denominatur ens, non tantum sit forma, nec tantum materia, sed utrumque: quamvis huiusmodi esse sive essentiae sola forma suo modo sit causa. Sicut enim in aliis videmus, quae ex pluribus principiis constituuntur, quod res non denominantur ex altero illorum principiorum tantum, sed ab eo quod utrumque complectitur, ut patet in saporibus, quia ex actione calidi digerentis humidum causatur dulcedo, et quamvis hoc modo calor sit causa dulcedinis, non tamen denominatur corpus dulce a calore, sed a sapore, qui calidum et humidum complectitur.

Hic ponitur quarta conclusio affirmativa: essentia in substantiis compositis significat compositum ex materia et forma, quam per locum a divisione concludit ex auctoritate Boetii, Avicennae, et Commentatoris, VII Metaph., comm. xxvii. Et ratione tali probat: quo tanquam principio completo denominante substantia composita est ens, est compositum: sed essentia ipsius substantiae compositae est id quo tanquam principio completo denominante substantia composita est ens; ergo essentia ipsius substantiae compositae est composita. Minor de se est clara: dicitur enim et est Sortes ens propter suam essentiam quam habet; major vero declaratur sic: quodcumque aliqua res ex pluribus principiis constituitur, non est talis ex altero eorum, ut completo principio, sed ex complectente utrumque; sed substantia composita est ens ex pluribus principiis constitutum, scilicet materia et forma; ergo non ex altero tanquam completo principio, sed complectente utrumque est et dicitur ens; sed id quod complectitur utrumque, est compositum; ergo id, quo substantia composita tanquam completo principio denominante, est ens, oportet esse compositum: quod erat probandum. Major hujus prosyllogismi exemplariter in saporibus declaratur in littera tanquam ex

notioribus, et declaratio est manifesta per se; quod autem dicitur, quod sola forma est causa essendi, infra patebit.

QUÆSTIO IV

Num materia sit pars quidditatis naturalis.

Circa prædicta dubitatur, an materia sit pars quidditatis naturalis. In hæc dubitatione tria faciam: primo ponam opinionem Commentatoris; secundo ponam opinionem S. Thomæ; tertio respondebitur argumentis oppositis.

Quoad primum, Commentator VI Metaph., comm. XXI et XXXIV, opinatur materiam non esse partem quidditatis naturalis, sed cadere in definitione rei naturalis, ut deferens illam quidditatem. Addeit autem in XXXIV comm. ad hæc rationem talem: essentia rei est substantia declarans rem quidditative: materia non est substantia declarans quidditatem rei; ergo materia non pertinet ad essentiam rei. Minor colligitur ex I Phys., text. comm. LXIX, ubi dicitur quod materia secundum se est ignota, et per consequens alterius declarativa non est. Ex commento vero XXI potest elici talis ratio ad hoc: si quidditas hominis esset homo compositus ex materia et forma, tunc quidditas hominis haberet quidditatem: et sic quidditatis esset quidditas, quod est falsum. Tenet consequentia: quia quæcumque sunt idem, quidquid habet unum, habet reliquum: si ergo quidditas hominis et homo compositus sunt idem, cum homo compositus habeat quidditatem, sequitur quod quidditas hominis habeat quidditatem. Hanc eandem positionem videtur docere Aristot. VII Metaph., text. comm. XXXIV, expresse dicens materiam non esse partem quidditatis, et II Phys., text. comm. XXXII, partes definitionis in genere causa formalis collocans. Unde et X Metaph., text. comment. XXV, dicit quod mas et femina non variant speciem quia sunt differentie materiales.

Idem etiam persuaderi potest ex consequentibus materiam: materia enim est causa corruptionis, distinctionis suppositi a natura sensibilitatis et similitum, quorum opposita conveniunt quidditatibus: sunt enim essentie rerum ingenerabiles, incorruptibiles, insensibiles, et huiusmodi. Hæc de primo.

CONCLUSIO

Materia est pars quidditatis substantiæ naturalis.

Quoad secundum S. Thomas, VII Metaph., supra text. comm. XXXIII et prima parte quæst. LXXV, art. 4, et hic tenet materiam esse partem quidditatis substantiæ naturalis. Probat hanc conclusionem tribus rationibus, quarum due in littera posite sunt; tertia vero est ista: quicquid est de essentia omnium individuum contentorum sub specie, universaliter conceptum, est de essentia speciei: ista est vera pro tanto, quia aliter essentia specifica non predicaret essentialiter totam essentiam individui: sed materia est de essentia omnium individuum naturalium; ergo materia universaliter accepta est de essentia speciei, et sic non cadit in specie, ut deferens ipsam, sed ut pars essentialis.

Ad primam rationem in littera factam dicunt adversarii, quod pro-

prium est accidentibus definiri per additamentum alterius generis: et hoc non convenit substantiis sed definiuntur substantiæ per additum sui generis: materia enim est in eo genere, in quo est quidditas delata.

Contra: ergo nulla est differentia inter definitionem formæ partis, et definitionem formæ totius, nisi forte secundum modum significandi, cum utraque per additum sui generis definiatur: et sic eadem erit definitio animæ et vini: et tunc sicut nullum genus prædicamenti substantiæ ponitur in definitione animæ, ita nullum ponetur in definitione vini, et sic de aliis: quod est manifeste falsum.

Confirmatur S. Thomæ positio adhuc tripliciter. Primo sic: "in omni objecto quidditative sumpto, cui convenit aliqua passio adequata, oportet inveniri intrinsece causam illius passionis: sed corpus contrarietati subjectum quidditative sumptum est subjectum, cui convenit corruptibilitas per modum passionis adequatæ; ergo in corpore contrarietati subjecto quidditative sumpto oportet intrinsece invenire causam corruptibilitatis, et talis causa non est nisi materia; ergo, etc. Major est de se nota: quia passio fluit ab intrinsecis principiis quidditatis, aliter non conveniret et secundum quod ipsa. Minor ex eo manifestatur, quod corruptibilitas primo concluditur de corpore contrarietati subjecto. Quod autem causa corruptibilitatis sit materia, clarum est, apud Comm. maxime.

Secundo sic: id quod est pars humanæ naturæ est pars quidditatis humanæ, quia natura et quidditas sunt idem: sed materia est pars naturæ humanæ; ergo, etc. Probat minor, ex eo quod materia est natura, II Phys., text. comm. XXI. Et si non est pars, oportet quod in Sorte sint due naturæ non partiales, quia non sunt partes aliquæ naturæ: quod est impossibile. Tertio declaratur hæc fuisse mentem Aristotel., I et VIII Metaph., text. comm. xv et xvi, ubi assignat causam quare definitio compositorum est una: quia ex actu et potentia naturæ est fieri unum: quidditates autem simplices seipsas, inquit, habent unitatem statim, eo quod formæ tantum sint; ex quibus habetur, quod si essentia substantiæ compositæ esset sola forma, non oportet Arist. assignare causam propter quid sit una: forma enim seipsa est una; sed quia est composita ideo dixit quod unitatem habet, ex eo quod altera pars est actus, altera potentia. Similiter IX Metaph., textu ultimum compositorum, dicit quod in quidditatibus compositorum accidit error, non autem in quidditatibus simplicium propter multitudinem partium ex quibus sunt compositæ illæ quidditates, unde ex earum compositione error accidere potest, qui in simplicibus, cum careant partibus, locum non habet: ex quibus apparet ipsum opinari essentiam compositi esse compositam et non simplicem, et quod quidditas substantiæ materialis differt a quidditate separata, ex eo quod ista est essentialiter simplex, illa vero est essentialiter composita. Hæc de secundo.

Quoad tertium dicendum est ad rationes in oppositum. Ad quarum primam negatur minor: licet enim materia secundum se, id est solitarie sumpta, sit ignota, adjuncta tamen et substrata tali formæ specificæ sive genericiæ declarativa est alterius.

Ad secundam negatur consequentia: ad eujus probationem dicitur, quod major illa potest intelligi dupliciter. Uno modo sic: quæcumque sunt idem realiter, quicquid realiter conjunctum est uni, est et realiter conjunctum alteri: et sic conceditur; sed non est contra nos. Alio modo sic: quæcumque sunt idem realiter, quicquid prædicatur de uno,

prædicatur de altero : et hoc modo est falsa. Aliquid enim convenit uni, ut distincto secundum rationem ab altero, quod non convenit alteri, sicut in proposito : habere quidditatem convenit homini, ut distincto a sua quidditate secundum rationem : distinguitur enim ab illa, ut habens ab habito : et quia sic oportet distingui illam majorem in proposito, ideo argumentum non procedit.

Ad id quod additur ex Arist. dicitur, quod VII Metaph. non removet materiam a quidditate, sed materiam particularem et eas partes quæ per accidens se habent ad speciem intellectum, ut manus et pedes, verbi gratia, ab hominis ratione : et hæc carnes et hæc ossa. Quod autem partes definitionis in genere causæ formalis collocentur non est contra id quod dicimus. Meminisse enim oportet quod omne superius se habet ut formale respectu inferioris, ut ibidem ab Arist. habetur. Masculus quoque et femina etsi non differant specie in genere animalis, sicut album et nigrum, differunt tamen specie in genere sexus, cujus differentie ad genus animalis per accidens se habent, et ex parte materiæ ; et propterea in illo genere non causant diversitatem specificam.

Ad ultimam confirmationem de passionibus materiæ dicitur, quod illa sequuntur materiam particulariter existentem, et non sequuntur materiam abstractam a singularibus, quæ est pars quidditatis specificæ : et ideo non oportet illa inesse quidditati, nec oportet materiam removeri a quidditate propter hoc quod illorum opposita quidditati insunt.

Sed quia individuationis principium est materia, ex hoc forte videtur sequi, quod essentia, quæ complectitur in se simul et formam, sit tantum particularis et non universalis, ex quo sequeretur universalis diffinitionem non habere, si essentia est id quod per diffinitionem significatur.

In hac tertia parte hujus capituli objicit contra quartam conclusionem sic : id, quod comprehendit in se materiam intrinsecæ, est particulare : essentia substantiæ compositæ comprehendit in se materiam intrinsecæ ; ergo essentia substantiæ est particularis ; ergo non datur essentia substantiæ compositæ universalis : quod est falsum. Et ulterius sequitur, quod universalis naturalia non sunt diffinibilia : quia rerum naturalium non nisi essentiæ sunt diffinibiles, eo quod diffinitio significat essentiam rei : essentiæ autem naturalium, ut deductum est, particulares sunt. Major probatur sic : quod habet in se actu intrinsecæ principium individuationis, est particulare : habens intrinsecæ materiam, habet in se principium individuationis, quia materia est principium individuationis ; ergo, etc.

Et ideo sciendum est, quod materia non quomodolibet accepta est principium individuationis, sed solum materia signata. Et dico materiam signatam, quæ sub certis dimensionibus consideratur. Hæc autem materia in diffinitione hominis, in quantum homo, non ponitur, sed poneretur in diffinitione Socratis, si Socrates diffinitionem haberet : in diffinitione autem hominis ponitur materia non signata : non enim in diffinitione hominis ponitur hoc os, et hæc caro, sed os et caro absolute, quæ sunt materia hominis non signata.

Hic respondet objectioni, destruendo majorem cum sua probatione

dicens, quod materia dupliciter accipitur : signata scilicet et non signata. Signata est principium individuationis, non signata ponitur pars essentiæ specificæ ; signata poneretur in diffinitione Socratis si diffiniretur, non signata ponitur in diffinitione universalium ; unde et patet universalis diffiniri, et tamen materiam includere, sed non signatam, quæ particularitatis est principium.

QUÆSTIO V

Num materia sit principium individuationis.

Circa hanc partem dubitatur, an materia sit principium individuationis. In hac questione sunt sex agenda. Primo declarabitur titulus ; secundo ponetur opinio Scoti ; tertio impugnabitur ; quarto ponetur opinio S. Thomæ ; quinto arguetur contra illam ; sexto respondebitur argumentis in oppositum.

Quoad primum nota, quod cum de principio individuationis agitur, cum individuum duo dicat, scilicet indistinctum a se et distinctum ab aliis : nihil aliud queritur nisi per quod primo natura specifica reddatur incommunicabilis, ita quod repugnet sibi communicari pluribus : ut superius inferioribus communicatur, atque per quid hoc individuum primo distinguitur realiter ab aliis ejusdem speciei. Duo ergo queruntur concurrentia ad individuationem, scilicet quo (primo) natura specifica reddatur incommunicabilis et quo (primo) realiter distinguitur ab aliis ejusdem speciei. Et advertas bene singulas partes tituli, quas declaravimus, quoniam aliquos in hac parte errare invenio. Agitur enim hic de incommunicabilitate quæ opponitur communicationi reali, et non de incommunicabilitate quæ opponitur communicationi formæ ; hanc enim nullus dubitat primo convenire materiæ. Et similiter agitur hic de distinctione reali individuorum sub eadem specie quæ non est nisi inter entia realia, et non de distinctione qua Sortes vivus et Plato mortuus distinguuntur. Advertendo semper, quod non loquimur nunc nisi de individuatione substantiarum materialium. Hæc de primo.

SCOTI PROPOSITIO

Non materia, nec forma, vel compositum, sed individualis proprietas, heccheitas, principium est individuationis.

Quoad secundum, Scotus, II Sent., dist. III, q. vi, opinatur quod natura specifica individuat per quoddam positivum per se contrahens illam, et faciens unum cum illa : ita quod illud positivum nec est materia, nec forma, nec compositum, sed est modus omnium seu ultima realitas materiæ, formæ et compositi, eadem illis realiter : et sic apud eum de principio individuationis ponitur talis conclusio : Principium individuationis non est materia, nec forma, nec quantitas, sed proprietas individualis, scilicet heccheitas.

Hujus conclusionis probationes, quoad tres primas partes nunc omitto, postmodum quantum ad propositum spectat adducendas. Pro quarta arguitur sic : unitas sequitur entitatem, proportionaliter loquendo ; eodem enim modo res est ens et una ; igitur unitas simpliciter ultima, scilicet numeralis seu individualis, sequitur entitatem individua-

lem. Sed clarum est, quod entitas illa individualis non est aliquod eorum quas sunt actu in specie, nec aliquod accidens: cum omnia accidentia sint post; ergo est proprietas individualis, individuum scilicet constitutiva. Et arguitur sic: illud ad quod primo sequitur unitas numeralis, est principium individuationis: proprietas illa seu heccheitas est id ad quod primo sequitur unitas numeralis; ergo heccheitas est principium individuationis. Major patet: quia unitas proportionaliter sequitur ens. Minor probatur: quia unitas numeralis non sequitur quidditatem, ut patet, nec ad aliquod accidens, cum præcedat totum genus accidentium.

Secundo sic: omnis differentia differentium reducitur ad aliqua primo diversa, alioquin non esset status in differentibus: sed individua proprie differunt; ergo eorum differentia reducitur ad aliqua primo diversa. Hæc non sunt nature ipsorum, nec privationes, nec accidentia aliqua; ergo sunt heccheitates. Probatio hujus ultimi assumpti quoad tertiam partem: quia si differentia individuum reducitur ad aliquod accidens, maxime reducitur ad quantitatem: sed hoc non. Quod sic patet: quaeratur enim per quid hæc quantitas et illa quantitas differant, non seipsis: sic enim specificè distinguerentur; ergo aliquo alio, puta sibus. Sed hoc non potest esse, quia aut distinguuntur situ, qui est speciale prædicamentum, et hoc non, quia ille est posterior quantitate, aut situ, qui est differentia quantitatis, et hoc non: quia quaeratur per quid illi situs distinguuntur, aut seipsis, et hoc non potest dici: quia seipsis non sunt hi, aut aliquo alio, et sic in infinitum. Et propterea cum situs, qui est differentia quantitatis, integretur ex continuatione et permanentia partium, idem est dicere: hæc quantitas differt ab illa propter alium situm, et quod hæc quantitas differt ab illa quantitate seipsa.

Tertio sic: id quod se toto primo constituit aliquod singulare in sua entitate singulari, et unitate consequente talem entitatem, ei se toto primo repugnat dividi divisione opposita illi unitati, et consequenter est principium individuationis; sed sola proprietas individualis seu heccheitas est hujusmodi; ergo, etc. Major patet ex terminis; minor eodem modo probatur, ut supra. Hæc de secundo.

Quoad tertium arguitur contra opinionem Scoti quadrupliciter. Primo sic: omnis actus singularis præexigit potentiam singularem, quam actual: sed heccheitas est actus singularis; ergo præexigit potentiam singularem, quam actual: sed illa potentia est natura seu in natura ipsius individui; ergo natura individui est singularis ante adventum heccheitatis, et sic heccheitas non est principium individuationis. Propositiones assumptæ omnes sunt Scoti in hæc materia, etiam major, quæ tamen probatur ex doctrina Arist. II Phys., text. comm. xxxviii, ubi docet comparationes causarum, unde sicut forma particularis præexigit materiam particularem, sic actus potentiam. Si dicatur, quod hoc est verum, ubi actus et potentia distinguuntur realiter, eo quod tunc potentia realiter recipit actum, hoc non obstat: eo quod secundum Scotum quando aliqua duo adunantur realiter, eundem ordinem ex natura rei retinent, quem haberent si essent distincta realiter: cum ergo actus singularis si distinctus esset realiter, ex natura sua præexigeret potentiam singularem, oportet quod et nunc hoc idem exigat, cum ordo idem servetur.

Secundo sic: illa quæ sunt principia individuationis, sunt seipsis primo diversa: heccheitas Sortis et Platonis non sunt hujusmodi; ergo.

Major est Scoti, minor probatur: id quod convenit magis cum uno quam cum alio, non est primo diversum ab eo cum quo magis convenit: sed heccheitas Platonis magis convenit cum heccheitate Sortis quam cum heccheitate albedinis; ergo heccheitas Platonis et Sortis non sunt primo diversa. Major prosyllogismi patet ex terminis: primo enim diversum ab alio non convenit cum illo. Minor probatur dupliciter: primo, quia heccheitas Sortis et Platonis conveniunt in specie, heccheitates Sortis et albedinis differunt genere; secundo, quia illa magis conveniunt quæ magis assimilantur, magis autem assimilantur quæ sunt magis comparabilia: heccheitates autem Sortis et Platonis sunt comparabiles magis quam heccheitates Sortis et albedinis, sicut universaliter res ejusdem prædicamenti sunt magis comparabiles, quam res diversorum prædicamentorum.

Tertio sic: quod convenit et repugnat alteri individuo ejusdem speciei præexigit necessario ipsorum distinctionem: proprietas individualis, puta Sorteitas, convenit Sorti, et repugnat Platoni ejusdem speciei individuo; ergo proprietas individualis præexigit distinctionem Sortis a Platone, et sic proprietas individualis non est id quo primo Sortes distinguitur a Platone. Conclusio est falsa secundum Scotum: processus est bonus; ergo altera præmissarum est falsa: utraque autem est sua; ergo omnino falsus conviatur. Et major quidem habetur a Scoto in quolibet. quest. ii; minor autem est sua conclusio quam nunc impugnamus.

Quarto, ostendo hanc positionem contradicere Periplatonicis, Arist. et Comm.; xii enim Metaph., text. comm. xlii, il hæc consequentia: primum cælum, id est primum principium, est unum specie et plura numero; ergo habet materiam; quæ consequentia nulla esset, si proprietas individualis poneretur distinguere individua ejusdem speciei.

Glossam autem Scoti intelligentis per materiam individualem proprietatem, destructivam esse textus, apparet ex Commentatore ibi dicente: omne quod est unum in specie et plura in numero, habet materiam; sed jam declaratum est, quod principium cæli non habet materiam; ex quibus verbis apparet, quod de illa materia loquitur quam declaravit non esse in primo principio. Apparet autem in text. comm. xxx expresse declarasse motorem cæli non habere materiam ad ubi et ad esse, et nullam fecisse mentionem de proprietate individuali. Apparet quoque fictio illius glossæ ex III Metaph., text. comm. ii, ubi dicitur, quod omnis multitudo, aut est rerum differentium secundum formam, aut secundum quantitatem, quod idem habes in Commentatore in I Phys., comm. vi.

Nec admittenda est glossa Antonii Trombeta, quod intelligitur concomitanter. Eodem enim modo et uniformiter debet teneri (ly secundum) in primo membro et in secundo: primo autem notat casualitatem; ergo et in reliquo. Deprehendi quoque potest esse puram fictionem novam hanc de heccheitatibus inventionem, ex I Cæli, text. comment. xxi et xxii, ubi unitatem et pluralitatem individuum in eadem specie, in rebus materialibus non nisi ex materia, assignant Arist. et Comment. Hæc de tertio.

CONCLUSIO

Materia signata est per se intrinsecum individuationis principium, non autem quippiam aggregatum ex materia et quantitate

Quoad quartum, opinio S. Thomæ posita ab eo hic et in multis aliis locis est quod materia signata est principium individuationis.

Circa hanc conclusionem advertendum est, quod Thomistæ inter se differunt et conveniunt. Conveniunt in hoc omnes, quod ad individuationem duo concurrere debent, materia et quantitas. Differunt autem, quia aliqui tenent quod aggregatum ex materia et quantitate sit intrinsecum individuationis principium: materia dante incommunicabilitatem sive indistinctionem in se, quantitate dante distinctionem ab aliis; et tale aggregatum dicunt esse materiam signatam. Alii vero longe melius sentiunt dicentes, quod principium intrinsecum individuationis et quoad incommunicabilitatem et quoad distinctionem ab aliis est materia signata, non materia quanta, seu aggregatum ex materia et quantitate. Et cum hoc, iudicio meo, sit doctrina S. Thomæ vera ut ostendetur, ideo hanc declarare volumus et tueri, declarando primo quid importet materia signata; secundo excludendo primam expositionem Thomistarum; tertio probando conclusionem intentam.

Materia signata nihil aliud est quam materia capax hujus quantitatis, ita quod non illius: hæc namque materia est pars intrinseca Sortis de diffinitione ejus si diffiniatur. Imaginandum est enim quod agens particulare, puta hoc semen, continue appropriat materiam ad formam inducendam hoc modo, quod sicut semen humanum appropriat materiam ad animam humanam, ita hoc semen ad hanc animam. Unde cum in primo instanti generationis Sortis, quod est primum esse Sortis et primum non esse formæ præcedentis et accidentium primo ordine nature fiat particulare compositum, deinde naturali ordine sequuntur omnia accidentia (in via nostra) in illo priori secundum naturam, quo compositum particulare terminat per se primo generationem: materia que est pars intrinseca ejus, scilicet Sortis, ita est appropriata ipsi Sorti ab agente particulari, quod non est capax alterius quantitatis quam ejus quam Sortes sibi determinat: omnium enim natura constantium determinata est ratio magnitudinis et augmenti, ut dicitur II de Anima ex comment. xli. et talis materiæ vocatur materia signata. Nihil ergo addit materia signata supra materiam, nisi capacitatem hujus quantitatis, ita quod non illius. Capacitas autem materiæ respectu hujus quantitatis nihil aliud est quam potentia receptiva hujus quantitatis, ita quod non illius: potentia autem receptiva nihil realiter distinctum in recto dicit, sed addit aliquid reale distinctum secundum rationem tantum a materia. Sicut materia propria nihil addit supra materiam realiter distinctum ab ipsa, dicit tamen aliquid reale in materia, quod non explicat materia secundum se: materia enim signata non est diffinibilis nisi per hanc quantitatem si diffiniatur: sicut propria potentia non nisi per proprium actum diffinitur, ut dicitur III Phys., text. com. x. Materia autem secundum se hanc quantitatem in sua diffinitione non exigit: unde materia propria individui, et materia signata, et materia sub certis dimensionibus idem important; et propterea S. Thomas non dixit materiam signatam materiam cum certis dimensionibus, sed sub certis dimensionibus; et

alibi dicit, quod sicut materia in ordine ad formas generales, puta formam totalem et partialem, distinguitur generice corpora cælestia ab inferioribus: ita materia in ordine ad hanc vel illam quantitatem distinguitur numeraliter in rebus materialibus. Materia igitur signata non dicitur aggregatum ex materia et quantitate, sed materiam in recto significat, quantitatem vero in obliquo; sicut potentia materiæ significat materiam in recto, in obliquo vero actum quem respicit, eo quod non nisi per actum est diffinibilis. Et sic manifestum est quid importet materia signata.

Quod autem Thomistæ alii non convenienter exponant, sic declarat: idem est principium distinctivum individui a specie et ab altero individuo ejusdem speciei: sed materia non quanta, sed sic signata modo præexposito est principium intrinsece distinctivum individui a specie; ergo non materia quanta, sed materia signata est principium intrinsecum distinctivum individui ab altero ejusdem speciei individuo. Minor ab eis conceditur, et est S. Thomæ expresse in tractatu qui de principio individuationis vocatur: qui secundum veritatem et antiquum titulum vocatur de potentiis cognoscitivis, ut habetur in bibliotheca summi pontificis, in qua sola tractatum illum completum vidi: est enim truncatus ille qui communiter habetur. Major vero non nisi voce a protervis negari posse videtur: universaliter namque verum videmus, quod quocumque aliquid commune dividitur in plures partes subjectivas, per idem differunt inferiora inter se et a superiori: sicut per idem homo differt ab animali et a leone, scilicet differentia propria; unde et Porphyrius tres actus differentie dat, dividere superius, constitutere inferius, et distinguere constitutum a superiori, et aliis comparibus. Probatur ergo hæc conclusio modo præexposito, scilicet: materia signata est intrinsecum individuationis principium; illud est intrinsecum principium individuationis cui primo repugnat communicari pluribus per modum quo universale communicatur particulari: sed materia signata est id cui primo repugnat communicari, ut universale particulari; ergo, etc. Major ab omnibus conceditur; minor vero probatur. Sed nota quod minor duo includit in se, scilicet quod materia signata repugnat communicari pluribus, et quod primo ei repugnat. Primum horum ex se patet: materiam enim capacem hujus quantitatis tantum impossibile est plurificari; secundum autem probatur: illud competit primo materiæ signatæ, quod circumscripto quocumque alio sibi convenit, et ipsa circumscripti nulla alteri convenit (ex primo posteriorum); sed non communicari pluribus ut universale particulari circumscripto quocumque alio existente in substantia sensibili convenit materiæ signatæ, et ipsa circumscripta nulli alteri convenit; ergo non communicari pluribus primo convenit materiæ signatæ inter omnia que in substantia sensibili inventiuntur. Probatur minor quoad utramque sui partem. Quoad primam sic: id quod materia signata præcise sumpta sibi vindicat, ita quod sub ejus opposito non est intelligibilis, convenit sibi circumscripto quocumque alio; patet ista ex terminis: sed incommunicabilitas convenit materiæ signatæ præcise ut sic acceptæ, ita quod sub ejus opposito materia signata non est intelligibilis: non enim potest intelligi materia propria individui incommunicabilis; ergo incommunicabilitas convenit materiæ signatæ circumscripto quocumque alio. Secunda pars minoris patet exemplariter: quia circumscripta Sortis materia signata, seu materia propria, quod idem est, certum est quod non remanet hic, neque

forma ejus remanebit hic, neque ipsa materia: si enim materiam propriam non habet, per quid exit ordinem communium?

Secundo probatur eadem conclusio sic: frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, et æque bene: sed absque quibusque aliis ex materia signata sufficienter salvatur individualio substantiæ compositæ; ergo frustra adduntur quæcunque. Minor ex dicendis apparebit ubi, solutis adversariorum rationibus, stabilis ac firma remanebit positio nostra.

Et confirmatur: quia cum in substantia composita non sint nisi materia et forma et compositum ex his, et accidentia quæcunque individuo accidunt, nullam aliam intrinsecam causam habent, nisi aliquid horum: et sic ad investigandam individuationis causam non oportet extra hoc vagari. Probatur tertio eadem conclusio auctoritatibus Arist. et Comm. supra inductis, quas non opus est repetere. Apparet quidem apud eos evidenter omnem distinctionem aut ex formis, aut a quantitate oriri. Est igitur materia signata intrinsecum individuationis principium, quo intrinsece (licet particulariter), Sortes est hic. Dico autem particulariter: quia non arbitror materiam signatam esse ipsam individualement proprietatem seu differentiam, sed potius differentiam individualis essentialis principium. Opinor enim quod proportio materiæ signatæ ad proprietatem seu differentiam individualement sit sicut proportio animæ humanæ ad differentiam hominis constitutivam: sicut enim anima intellectiva non est ipsa differentia, puta rationale, sed id unde sumitur: ita materia signata non est ipsa differentia individualis, sed id unde sumitur, et quod causat ipsam intrinsece. Et sicut homo est homo, et per rationale tamquam per principium formale totale, et per animam intellectivam tamquam per principium partiale intrinsecum formale, a quo rationale mendicat et causatur: ita Sortes est hic per differentiam individualement tamquam per totale quoddam denominans; quod nihil aliud est quam gradus individualis, sicut differentia specifica est gradus specificus, et per materiam signatam tamquam per priorem causam intrinsecam, a qua ipsa individualis differentia mendicat. Ut sic inter nos et Scotistas in hoc sit diversitas, quod ipsi differentias individuales absque essentiali dependentia a materia signata multiplicent: nos autem sicut animal contrahere nesciremus ad hominem et bovem sine formis partium, a quibus differentie contrahentes animal causantur: sic speciem, puta hominem contrahere ad individuum, non novimus sine materia signata, quæ est causa individualium differentiarum; et consequenter primo principium individuationis intrinsecum. Moveor ad hoc dicendum, quoniam teneo Sortem substantialiter sumpsum in recta scilicet linea prædicamentali sub specie esse unum numero, non unitate de prædicamento quantitatit, sed substantialiter: quam necesse est antecedi, cum sit entis passio ab individuali gradu, quem ipsa individualis differentia importat. Et hoc an sit de mente S. Doctoris non censeat quisquam, priusquam legerit ipsum, et in compendio Theologiæ, cap. clvii, ubi vult Sortem eodem numero esse post resurrectionem ejus quantitate numerata, et in tractatu supradicto.

Quoad quintum arguitur contra conclusionem et dicta in ea a Scot. ubi supra. Primo sic: impossibile est aliquid dependens a posteriori naturaliter esse idem priori naturaliter, quia tunc esset prius et non prius: sed substantia est prior naturaliter quantitate: igitur nihil causatum a quantitate sive qualitercunque præexigens naturam quantitatit

potest esse idem substantiæ; non igitur signatio ista a quantitate causata est eadem substantia. Probatio majoris: ubi est vera et realis identitas, licet non sit formalis, ibi impossibile est hoc esse et illud non esse, quia tunc idem realiter esset et non esset: sed possibile est prius naturaliter esse sine posteriori naturaliter; ergo multo magis absque eo quod derelictum est, vel causatum a posteriori naturaliter.

Præterea, id quod est necessaria conditio causæ in causando, non potest habere esse a causato, quia tunc causa, inquantum sufficiens ad causandum, esset causata a causato, et illud causatum esset causa sui ipsius: sed singularitas sive signatio substantiæ est necessaria conditio in substantia ad causandam quantitatem, quia causatum singulare requirit causam singularem; ergo impossibile est istam signationem seu singularitatem esse a quantitate.

Præterea, quero quid est quantitatem causare vel derelinquere talem modum seu significationem in substantia? Si nihil ex hoc est, nisi quod præfuit quantitas, tunc pullo modo signatio est per quantitatem, quia tunc signatio substantiæ naturaliter præcedit ipsam quantitatem. Si autem aliquid aliud, quero quomodo causetur a quantitate, et in quo genere causæ?

Præterea, quare quantitas potius relinquit talem modum in substantia, quam qualitas? Non videtur ratio, quia sicut qualitas in seipsa informat superficem, nihil relinquo in ea: ita quantitas informat substantiam in seipsa, et non per aliam formam derelictam.

Præterea, quantitas ista, quæ ad individuationem concurret, aut est quantitas terminata, aut interminata: non terminata, quia illa sequitur formam in materia et per consequens singularitatem substantiæ, quia sicut substantia est causa ejus, ut est terminata, ita hæc substantia est causa ejus, ut est hic terminata. Et confirmatur hoc, quia cum quantitas terminata varietur sola rarefactione, idem individuum erit multis singularitatibus idem: quod est impossibile. Si autem interminata, contra: illa manet eadem in genito et corrupto.

Præterea, si quantitas concurret ad individuationem, ut primo distinguens, oportet quod in seipsa sit primo distincta numeraliter ab alia: sed tunc tua propositio non est vera, illa scilicet: omnis differentia formalis est specifica: quantitas enim hæc et illa cum sint formæ, se different specificæ. Quod si quantitatem excipias ab illa proportionem fundamentali edificii ruinosi, unde probabitur, quod differentia formalis sit specifica? Quæcunque enim ratio fuerit adducta de forma, habebit locum in quantitate, cum quantitas forma sit.

Præterea, tota latitudo prædicamenti substantiæ est prior ceteris prædicamentis: ergo, cum individuum substantiæ claudatur in ista latitudine, oportet quod sit intrinsece completum absque dependentia a quantitate, quæ est posterior.

Et confirmatur, quia nihil reponitur in aliquo genere per aliquid quod sit extra illud genus. Multa alia argumenta sunt a Scoto et aliis; sed quia concludunt materiam solem vel quantitatem solem vel aggregatum ex materia et quantitate non esse principium individuationis, omisi: nihil enim contra nos. Omisi præterea quæ indirecte contra positionem nostram essent, brevitate student. Hæc de quinto.

Quoad sextum respondendum est argumentis factis, nunc deinde aliis pro opinione contraria inductis.

Ad primum igitur istorum dicitur, quod falsa est major. Ad ejuſ evi-

dentiam est notandum, quod proportio materiæ signatæ ad hanc quantitatem est proportio potentiæ ad proprium actum : unde sicut potentia materiæ est eadem realiter ipsi materiæ, et tamen dependet a forma : ita potentia seu capacitas materiæ respectu hujus quantitatis, quæ vocatur ejus signatio, dependet a quantitate, et tamen est eadem materiæ. Et quia potentia est prior et posterior, et naturaliter actu prior est in genere causæ materialis, posterior in ordine causæ formalis : ideo signatio materiæ est prior quantitate ordine causæ materialis, posterior autem in ordine causæ formalis ; unde utroque modo major est falsa, tam si intelligatur de priori et posteriori secundum genus causæ materialis, quam si intelligatur de priori et posteriori in ordine causæ formalis. Aliquid enim dependens a forma est idem realiter materiæ, et aliquid dependens a materia est idem realiter formæ ut patet. Ad probationem primam quæ dicitur : quia tunc esset prius et non prius : dico quod non est inconveniens in diversis generibus causarum. Ad aliam probationem, quæ dicitur : ubi est vera et realis identitas, etc., negatur secunda propositio assumpta : non enim omne prius potest esse sine posteriori, ut alias ostendetur.

Ad secundum negatur major, cum causatum esse causa sua cause in alio genere causæ, sicut in proposito accidit : materia enim signatæ est causa quantitatis in genere causæ materialis : quantitas est causa materiæ signatæ in genere causæ formalis, ut actus potentiæ. Et patet falsitas majoris in exemplo supra posito : potentia enim materiæ est necessaria conditio materiæ ad causandam formam, et tamen dependet a forma in genere causæ formalis. Ad probationem dicitur, quod causa materialis secundum causalitatem suam dependet a suo effectu, scilicet forma : sed non in quantum sibi invicem causæ, ut dicitur II Phys., text. comm. xxx ; non ergo inconvenit causam in causando dependere a causato, non ut causato, sed ut causa est secundum aliud genus.

Ad tertium dicitur, quod quantitatem causare talem signationem in materia nihil aliud est, quam materiam esse sub hoc agente factam capacem adeo hujus quantitatis, quod non illius, et sic quantitas concurret ad signationem materiæ ut actus, propter quem talis capacitas fit. Agens vero ut efficiens illam, et talis signatio seu capacitas præest ipsi quantitati in genere causæ materialis, et non potest ex hoc inferri, ergo non fit per quantitatem, eo quod fit quantitate in genere causæ formalis, quæ sicut et finis inter causas posteriores inesse numeratur.

Ad quartum dicitur, quod non solum quantitas tali modo signat materiam, sed etiam qualitates propriæ. Materia enim Sortis ita est capax harum qualitatium, quod non aliarum : sed quia sola quantitas immediate recipitur in substantia, et ex sola quantitate oritur radicaliter distinctio materialis, ideo ad propositum, materiam signatam, materiam sub certis dimensionibus et non sub certis qualitatibus dicimus.

Ad quintum dicitur, quod quantitas illa quæ ad individuationem ut originale non intrinsecum individuationis principium concurret, est quantitas terminata. Nec obstat quod sequatur formam, quia etiam forma sequitur potentiam materiæ, a qua tamen causatur : et concedimus hanc substantiam esse causam materialem hujus quantitatis, sed e converso in genere causæ formalis hanc quantitatem esse causam hujus signationis materiæ modo præexposito. Ad confirmationem Antonii Trombete dicitur, quod quantitas terminata ad individuationem con-

currens non stat in divisibili, sed latitudinem habet. Sicut enim quælibet species naturalis determinat sibi quantitatem maximam et minimam infra quamdam latitudinem : ita et quodlibet individuum determinat sibi hanc quantitatem infra tales limites, et non in divisibili. Unde potest fieri rarefactio sine ejus (ut individualiæ est) variatione : non enim hic accipitur quantitas terminata punctualiter, sed cum certa latitudine.

Ad sextum dicitur concedendo consequentiam primam, sed negando quod ex hoc sequatur falsitas illius propositionis fundamentalis firmissimi ædificii. Peccavit enim arguens peccato maximo, non distinguens inter differentiam formalem et formarum : omnis enim differentia formalis est specifica, non autem omnis differentia formarum, ut dicit S. Thomas, II contra Gentiles, cap. lxxxii, alioquin forma hujus ignis et forma illius ignis distinguerentur specificæ, cum sint formæ, et differant. Unde linea mathematica divisa in partes, habet duo individua : quælibet enim pars lineæ est linea, et illa individua sunt formæ, et differunt, sed non differentia formali. Appellatur autem differentia formalis illa, quæ est per principia quidditativa : hæc enim semper oriuntur a forma in eo quod forma, qualis non est inter hæc lineam et illam, cum sit eadem utriusque quidditas : verum arguentis error est valde periculosus. Sicut formæ, et differunt : ergo differunt formaliter : est monachus, et est albus, ergo est monachus albus.

Ad ultimum negatur consequentia : licet enim id quod est in prædicamento substantiæ sit prius simpliciter quodlibet alio prædicamento : tamen aliqua conditio (sine qua individuum ut sic non est in prædicamento) potest esse posterior in genere causæ formalis, et alterius prædicamenti, eo quod causa formalis est posterior in esse.

Ad confirmationem dicitur, quod quodlibet prædicamentum completur per res sui generis, si loquamur de his quæ ponuntur in prædicamentis, et de ratione reponendi ea in illis, non autem si loquamur de conditione rei repositæ in prædicamento. Sortes enim non est nisi substantia, et ratio ponens ipsum in prædicamento est substantia : conditio autem individuationis, sine qua non est ratio reponendi ipsum in prædicamento, non inconvenit quod coexistat aliquod accidens, puta quantitatem.

Ad primum vero eorum, quæ pro opposita conclusione adducta sunt, dicitur, quod minor est falsa : ad materiam namque signatam primo sequitur unitas numeralis.

Ad secundum dicitur, quod differentia individuorum reducitur ad quantitates : quantitates autem differunt sibus propriis, qui sunt differentię quantitatis : situs autem non solum integratur ex illis duobus, scilicet permanentia et continuatione partium, sed ex his duobus cum tertio ordine, scilicet partium in toto : ut docet Alberic. in Prædicamentis, cap. de quantitate : per hoc enim differt a situ speciali prædicamento qui dicit ordinem partium in loco : unde situs in proposito distinguuntur suis ordinibus partium in toto, qui sunt de eorum ratione : ordines autem seipsis : in definitione enim ordinis cadit distinctio : et sic patet, quod non est æque dubium de his, ad quæ facimus reductionem, et de quantitativibus, et quod non oportet quantitates propter hoc distingui formaliter : talis enim ordo partium in toto ut materiale quod, est in ipsa quantitate quod in nulla alia forma invenitur.

Ad tertium Antonii Trombete dicitur, quod minor est falsa : materia enim signata, ut probatum est, est id cui prima repugnat dividi, ut universale in particularia : ratione enim repugnat hecchitati.